

vistatum et Pontificis familiaritatem, his adhibitis verbis: « Non tamen ratione vacationis apud Sedem, nec ex personis cujuslibet Conclavistæ, nec etiam ratione familiaritatis; etc. » Demum in formula, quam adhibet Cancellaria a tempore Alexandri VIII. citatur reservatio non ex capite familiaritatis, sed specialiter ratione Conclavistatus. « Dudum siquidem felic. recordat. Urbanus Papa VIII. Prædecessor noster, omnia Beneficia Ecclesiastica quorumcumque Conclavistarum tunc vacantia, et in antea vacatura collationi, et dispositioni suæ reservavit, decernens ex tunc irritum et inane, si secus etc. Cum itaque perpetuum etc., per obitum Hieronymi, qui alias Conclavi etc., vacaverit et vacet ad præsens; nullusque de illo præter Romanum Pontificem hac vice disponere potuerit, sive possit reservatione et Decreto obsisten. supradictis etc. » (5. Quapropter Conclavistatus duplicem importat reservationem, alteram simpliciter et absolute ratione Conclavistatus, alteram ratione familiaritatis Papæ illi coherentis, uti Rot. decis. 1251, numer. 14, et seq. coram Seraphino, et in Hispanen. Præstimonii prima Julii 1661, cor. Verospio. Adde demum tertiam, ratione Protonotariatus Apostolici illis concessi ex supradictis Pontificum Constitutionibus. (6. Conclavistatus debet probari, ut reservatio locum habere possit, scilicet ejus nomen reperiri debet in Bulla novi Pontificis edita in favorem suorum Conclavistarum, ita ut si in dicta Bulla deest alicujus nomen, ille pro Conclavista haberi non potest. Rot. in Rom. Præstim. 11. Maii 1661, § Non jus, cor. Verospio (7. Protonotariatus autem Apostolicus non est communis omnibus Conclavistis, sed illis tantum, qui digni hoc honore habiti sunt a tribus Cardinalibus, qui Capita Ordinum dicuntur, unde probari debet, quod talis approbatio locum obtinuit, ut Conclavista Protonotarius dici possit. Spad. cons. 31, num. 4, et seq. (8. Adverte demum, quod contracta alia familiaritate non propterea cessat reservatio; nam hæc non pendet tantum a capite familiaritatis Pontificis, quæ in hoc casu dissolvitur, sed etiam a simplici ratione Conclavistatus, qui est personalis, et expirat solum morte Conclavistæ.

(9. Dapiferi, seu illi nobiles viri, quos Cardinales ante Conclave eligunt, ut præsent eorum dapibus, cum ad Rotas Conclavis deducuntur, gaudent fere omnibus iisdem privilegiis quibus Conclavistæ, et in primis sunt veri, indubitati, et non ficti Pontificis Familiæ, ejus continui commensales, Sacri Palatii, et Aulæ Lateranen. Comites et Milites, Nobiles Urbis, vel cujusvis alterius ex Civitatibus, temporali Dominio Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectæ, cujus cives esse elegerint; et tale jus pertransit etiam ad eorum hæredes; sunt Apostolici Sedis Notarii sine præjudicio Notariorum de numero participantium, si hoc honore digni habiti sunt a tribus Cardinalibus, qui Capita Ordinum nuncupantur, ut supra diximus; sed ut hoc privilegio frui possint, in Clericali militia adscribi debent.

Liberantur a solutione et exactione Decimarum Ecclesiasticarum ubique locorum et quacumque ex causa et occasione, etiam ad instantiam Principum et Regum impositarum; condonantur ipsis fructus et proventus Ecclesiastici indebite percepti cujuscumque quantitatis fuerint; dispensatur etiam cum eis in inhabilitate quomodolibet contracta, etiam si celebraverint Missas, et alia divina officia, cum essent censuris ligati, et possint ad Ordines promoveri, nisi aliquid obstat; legitimantur eorum natales, ita ut, sine præjudicio venientium ab intestato vel ex Fideicommissis, possint succedere cum legitimis fratribus in paterna hæreditate, et promoveri ad Dignitates, Honores, et quæcumque alia Officia sæcularia publica vel privata; possunt Clericali characterem insigniri, ad Ordines promoveri, et accipere quæcumque Beneficia Ecclesiastica cum cura et sine cura animarum, ac Canonicatus et Præbendas, non tamen in Cathedralibus, et Dignitates, non tamen in eisdem Cathedralibus post Pontificalem majores, nec principales in Collegiatis Ecclesiis. Omnes gratiæ, provisiones, Commendæ, et literæ Apostolicæ etiam in forma Brevis ipsis gratis expediuntur tam de capienda possessione nomine Camerae Apostolicæ, quam in favorem literarum Apostolicarum. Impertitur ipsis facultas transferendi pensiones cujuscumque Beneficii usque ad summam 100. Ducatorum, et cum hæc gratia fuit ab aliquo Pontifice concessa, cumulative ejus effectum gaudent. Eximuntur etiam a necessitate deferendi habitum et tonsuram Clericalem, et hoc non obstante possunt percipere pensiones usque ad summam 200. Ducatorum; bona ipsorum a spoliis liberantur, testandique facultate gaudent, quamvis sint adscripti Religioni alicujus Militiæ, etiam S. Joannis Hierosolymitani. Hæc et pauca alia videre potes apud Novaes introd. ad Vit. SS. Pont. Dis. II. § 29, pag. 66. edit. Rom. 1822. et in Const. XIX. Urban. VIII. tom. V. fol. 173. Const. VII. Clem. X. tom. VII. fol. 23. Const. XII. Innocent. XI. tom. VIII. fol. 18. Const. III. Clem. XII. tom. XIII. fol. 22. Bullar. Mainardi edit. Rom. 1756. et Const. III. Clem. XIII. tom. I. ejusdem Bullar. fol. 9. edit. Rom. 1835. (10. Ex quibus privilegiis consequitur, Dapiferorum quoque Beneficia esse reservata juxta decreta in IV. Regula Cancellariæ, nam vigore Motus proprii supradicti Dapiferi fiunt veri Pontificis familiares, et quamvis eorum familiaritas ficta forsitan videri possit, tamen in effectu reservatio tenenda est pro vera, cum Pontifex operare potest, ut quoad effectus juris fictus pro vero et proprio familiari habeatur. Marescat. var. res. lib. 2. cap. 94. num. 13. in fin. Lotter. de re Beneficiar. lib. 2. quæst. 28. num. 60. et quæst. 32. n. 139. Rota decis. 104. lib. 1. et decis. 131. lib. 2. part. 3. divers. cor. Coccin. decis. 159. n. 14. et seq. et cor. Seraphin. decis. 851. n. 15. et præterea etiam ficta familiaritas inducere potest reservationem. Lotter. de re Beneficiar. lib. 2. quæst. 29. n. 16. Frances. Variar. resolut. lib. 3. cap.

3. n. 20. Rota cor. Buratt. decis. 106. n. 7. et coram Coccino dec. 1059. dic. n. 7. (11. Et quia hæc reservatio inducta est tantum ratione familiaritatis Pontificis, afficit solum Beneficia obtenta ante et durante dicta familiaritate, et mortuo Pontifice, qui familiaritatem communicavit, non habet vim pro illis Beneficiis, quos Dapifer postea obtinere potest, quia tunc jam est dissoluta familiaritas, quæ fuit causa reservationis. Spad. const. 36. n. 1. et per tot. lib. 3. Card. de Luca de Benef. disc. 141. num. 5. (12. Demum cum in Indultis Cardinalium excipitur vacatio ex morte Conclavistarum, non excipitur propterea etiam vacatio per obitum Dapiferorum, nam Dapiferi proprie venire non possunt sub nomine Conclavistarum, uti videri potest apud Rigant. Commem. in Reg. Cancell. Reg. 11. tom. 1. § 5. pag. 326. edit. Colon. 1751. apud quem vide etiam cætera, quæ diximus de reservatione Beneficiorum Conclavistarum et Dapiferorum. (13. Quoad vero Regulam XXXII. Cancellariæ, qua præcipitur, ut impetrans Beneficium vacans per obitum familiaris alicujus Cardinalis ejus consensum obtinere debeat, adverte, quod locum non habet in impetratione

CONCORDATA.

ARTICULUS NOVUS CASINENSIS.

SUMMARIUM.

1. Concordata quid sint. — 2. Concordata sunt modificationes juris, et jus particulare nationum. — 3. Habent vim Contractus. — 4. Unde Concordata

(1. Concordata dicuntur a verbo concordare, quod est concorditer dare; unde Concordatum est conventio inter partes, et quoad nostrum propositum Concordatum est lex communi concordia principum data, videlicet Papæ et Regis, pro firmiori unione, et pace, et tranquillitate servanda. Dicitur Papæ et Principis sæcularis, quia ipsis duobus quæcumque respublica regitur; nam sicut Reges et Principes præsent in causis sæculi, ita Sacerdotes in causis Dei; cap. nos si incompetenter § sed notandum 2. q. 7.

(2. Nonnullæ Conventiones hujus generis hodie existunt factæ partim temporibus antea, partim vero hoc sæculo; quas videmus juri novissimo adscriptas quasi modificationes juris communis, et jus particulare nationum. (3. Cum ipsæ prodissent ex concordia ambarum partium, vim habent contractus, qui a neutra parte sine consensu alterius solvi potest. In ipsis constituuntur limites potestatis tam ecclesiasticæ, quam laicalis in rebus ambas attingentibus, et quarum utrique interest. (4. Quamvis in jure cautum sit, quousque se extendant limites utriusque, tamen vel malitia hominum, vel rerum circumstantiæ et locorum necessitatis nonnumquam postularunt declarationes et concessiones, quibus limites ecclesiasticæ potestatis restringebantur. Unde orta sunt Concordata Sedis Apostolicæ cum Imperatoribus Germaniæ (vide verb. Beneficium art. XI.), et cum Regibus Galliarum (vide Artic. sequentem). In quibus

Beneficiorum familiarium, qui simul Conclavistæ fuerunt; rationesque pro et contra hanc sententiam habes apud Rigant. Commem. in Reg. Cancell. tom. 3. reg. XXXII. § 165. et seq. pag. 115. edit. cit. (14. In Beneficiis vero Dapiferorum, tria occurrere possunt. 1. Si agitur de Beneficiis obtentis ante, vel durante familiaritate Pontificis, in cujus Conclavi Cardinalibus inservierunt, certum est, non requiri consensum Cardinalis Patroni, etiamsi vacatio evenit post obitum illius Pontificis; nam Papæ familiaritas nobilior est, et ejus effectus semper durat. 2. Si vero agitur de Beneficiis obtentis post mortem Pontificis electi in Conclavi, in quo Dapiferi inservierunt, tunc Cardinalis Patronus potest consensum præbere; nam morte Pontificis dissolvitur familiaritas, ut sæpe diximus. Si vero Dapifer annumeratus fuit inter Apostolicos Protonotarios, etiam post mortem supradicti Pontificis ejus Beneficia sunt reservata; nam Protonotariatus est dignitas perpetua, quæ inhæret ossibus Dapiferorum. Rigant. in Reg. XXXII. Cancell. t. 3. § 235. et seq. pag. 119. edit. Coloniae Allobr. 1751.

originem duxerint. — 5. Afferuntur varia Concordata. — 6. Concordatum Bavaricum. — 7. Concordatum Neapolitanum. — 8. Concordatum Borussiae. — 9. Concordatum Belgicum.

Concordatis Pontifices quidem moderati sunt rigorem Juris, quod nonnulla ipsis concessit, quæ ad majora mala evitanda Principibus indulserunt, ut eo magis confirmarentur alia jura inalienabilia, quum etiam adesset consensus alterius partis.

(5. Hæc cum ita sint, opportunum ducimus quædam principaliora Concordata inter Sedem Apostolicam et Reges facta adducere, ut facilius ab omnibus cognoscatur, quo pacto moderentur res ecclesiasticæ in diversis Europæ partibus.

Concordatum Bavaricum.

(6. Anno 1817. die 5. Junii inita fuit conventio inter sedem Apostolicam et Baviaræ Regem Maximilianum ad ordinandas res Ecclesiæ temporum calamitate afflictas, cujus summa in sequentibus Articulis continentur.

ART. I. Religio Catholica Apostolica Romana semper servabitur illæsa in Regno Baviaræ cum omnibus juribus, ac prærogativis, quæ ipsi competunt ex Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus.

ART. II. Constituit duas Ecclesias Metropolitanas, et tribuit singulis tres Dioceses.

ART. III. Ordinatur Capitula Ecclesiarum Metropolitanarum et Suffraganearum; et constituit in prioribus duas Dignitates, et decem Canonicos, in posterioribus item duas Dignitates cum octo Canonicis.

ART. IV. Firmatur redditus mensurarum Epi-

scopalium, et Archiepiscopalium, atque dotem Capitulorum.

ART. V. Quaelibet Ecclesia servabit suum Seminarium, quod dirigetur, ac administrabitur juxta Concilium Tridentinum; Episcopus etiam vigilabit, ne aliquid Catholicæ Religioni contrarium in publicis scholis doceatur.

ART. VI. Rex cum consilio Episcoporum assignabit aliquam domum cum dote opportuna, in qua recipi possint clerici infirmi, vel senio confecti.

ART. VII. Continet promissionem restituendi cum convenienti dotatione aliqua Monasteria pro Juventutis educatione, vel in auxilium Parochorum, et pro cura infirmorum.

ART. VIII. Servat Ecclesiæ facultatem acquirendi et conservandi bona temporalia.

ART. IX. Pontifex concedit Regi ejusque successoribus catholicis potestatem nominandi tantum dignos idoneosque Ecclesiasticos ad sedes Metropolitanas et Episcopales vacantes, vel vacaturas.

ART. X. Sanctitas Sua conferet Præposituram in Ecclesiis Metropolitanis et Cathedralibus, ad Decanatus vero nominationem habebit Rex, qui etiam nominat ad Canonicatus in mensibus papalibus; in aliis sex mensibus nominabit in tribus primis Archiepiscopus, vel Episcopus, et in aliis tribus Capitulum. Constituitur insuper, ne ad Capitula admittantur nisi indigenæ, quorum qualitates exponuntur; Collatio Vicariatuum in ipsis Ecclesiis libera sit Archiepiscopis et Episcopis.

ART. XI. Concedit Regi præsentationem ad omnia Beneficia, ad quæ præsentabant Duces et Electores antecessores ejus, et ad Beneficia, ad quæ jus præsentationis habebant Corporations ecclesiasticæ actu non existentes; regulantur etiam præsentationes ad cætera Beneficia Jurispatronatus, et collationes faciendæ ab Archiepiscopis et Episcopis.

ART. XII. Archiepiscopi et Episcopi liberi erunt in exercitio Pastoralis Ministerii juxta Sacros Canones et vigentem Ecclesiæ disciplinam, et constituent Vicarios consiliarios et adjuutores in administratione, quos idoneos judicaverint; promovebunt ad Ordines titulis a Sacris Canonibus provisos prævio examine quoscunque necessarios vel utiles ipsorum Diocesis judicaverint, et removebunt indignos, quin aliquo modo possint impediri; cognoscent in foro suo causas ecclesiasticas, et præsertim matrimoniales, quæ juxta Concilium Tridentinum ad judices ecclesiasticos spectant, ac de ipsis sententiam ferant; exceptis causis Clericorum mere civilibus; pœnas infligent à Concilio Tridentino statutas, vel alias opportunas in Clericos reprehensione dignos, eos in seminariis vel domibus destinandis claudent; animadvertent quoque censuris in quoscunque fideles ecclesiasticarum legum, et Sacrorum Canonum transgressores; liberum erit ipsis communicare cum Clero et populo, suasque instructiones et ordinationes de rebus ecclesiasticis

libere publicare; et communicatio Episcoporum, Cleri et populi cum S. Sede in rebus spiritualibus et ecclesiasticis omnino libera erit; erigent, dividunt, et unient parochias cum consensu Majestatis Suae; indicent preces publicas, et alia pia opera, et invigilabunt, ut in functionibus ecclesiasticis, et præsertim in Missa et administratione Sacramentorum adhibeantur formulæ Ecclesiæ in lingua latina.

ART. XIII. Gubernium ad instantiam Episcoporum non permittit eorum librorum divulgationem, in quibus Episcopi repererint aliquid Ecclesiæ doctrinæ, vel bonis moribus contrarium.

ART. XIV. Rex prohibebit, ne catholica religio et ritus contemnantur, vel ministri ejus impediatur in exercitio sui officii; nec permittet fieri, quod dedecus vel contemptus sacris ministris afferretur.

ART. XV. Archiepiscopi et Episcopi coram Rege juramentum fidelitatis emittent.

ART. XVI. Præsentis Conventionis abrogatur omnibus Legibus, Ordinationibus, et decretis in regno Baviaræ publicatis, in quantum cum illa pugnant.

ART. XVII. Cætera vero res ecclesiasticas spectantia, quorum nulla mentio in his articulis facta est, dirigentur juxta vigentem Ecclesiæ disciplinam. Si qua vero supervenerit difficultas, Sanctitas sua, et Majestas sua secum conferre sibi reservant.

ART. XVIII. Utraque Contrahentium Pars spondet se, successoresque suos omnia, de quibus in his articulis utrinque conventum est, sancte servaturos; et præsentis Conventionis declarabitur *lex Status*.

ART. XIX. Ratificationum hujus Conventionis traditio fiet non ultra quadraginta dierum spatium.

Concordatum Neapolitanum.

(7. Diversis temporibus Principibus hujus Regni, quod peculiare vinculum Sedi Romanæ univit, factæ sunt concessiones, sed quum conventio anni 1818. substituta sit omnibus prioribus, hanc solam summarie afferemus.

Sanctitas sua Summus Pontifex Pius VII. et Majestas sua Ferdinandus I. Regni utriusque Siciliae Rex, pari studio consulere cupientes malis, quæ in res ecclesiasticas sui regni irrepserunt, collatis consiliis novam inire Conventionem decreverunt, articulis sequentibus.

ART. I. Religio Catholica Apostolica Romana est sola Religio Regni utriusque Siciliae, atque in eo semper conservabitur cum omnibus juribus ac prærogativis, quæ ipsi competunt ex Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus.

ART. II. Institutio in Regiis Universitatibus, Collegiis, et Scholis, tam publicis, quam privatis, erit in omnibus conformis doctrinæ ejusdem Religionis Catholicae.

ART. III. Nova Circumscriptio Diocesium in ditione citra Pharus. In ditione trans Pharus omnes Archiepiscopales et Episcopales Sedes conservantur, immo eorum numerus

augetur. Territoria quarundam Abbatiarum Nullius Diocesis uniuntur Diocesis intra quarum fines in nova Circumscriptione sita reperiantur. Abbatiarum Consistorialium, quarum annui redditus summam ducatorum quingentorum excedunt, nulla fit unio.

ART. IV. Quaelibet Mensa episcopalis in Regno gaudebit annuo reddito ad minus trium millium ducatorum ex bonis stabilibus, publicis deductis oneribus.

ART. V. Quaelibet Ecclesia Archiepiscopalis sive Episcopalis suum habebit Capitulum ac Seminarium (dirigendum et administrandum juxta Concilium Tridentinum), quibus dos sufficiens erit constituenda. Congrua Dignitatum Capitulorum.

ART. VI. Bona Ecclesiarum uniendarum (quarum Capitula mutantur in Collegiata) applicanda sunt iis Ecclesiis, quæ in nova Circumscriptione conservantur, nisi aliter necessitas postulet.

ART. VII. Parœciis (quibusdam exceptis), congruam sufficientem non habentibus, dos augetur. Parochialis Ecclesiæ conservatio, uti et cooperatoriis Parochi stipendia, ubi redditus ad id attributi non adsint, respectivis civitatibus incumbent.

ART. VIII. Collatio Abbatiarum Consistorialium, quæ non sunt jurispatronatus regii, perpetuo spectat ad Sanctam Sedem. Collatio Beneficiorum simplicium libera collationis cum fundatione, et erectione in titulum ecclesiasticum fiet a Sancta Sede, et ab Episcopis pro diversitate mensium, quibus vacabunt.

ART. IX. Catalogus Abbatiarum sive regii patronatus, sive non, prout apud Cappellanum majorem descriptæ reperiuntur, quam primum exhibebitur. Catalogus concorditer corrigi poterit.

ART. X. Canonicatus libera collationis in Capitulis, respective conferentur a Sancta Sede et ab Episcopis; scilicet sex primis anni mensibus a Sancta Sede, aliis vero sex mensibus ab Episcopis. Prima dignitas semper erit libera collationis Sanctæ Sedis.

ART. XI. Sanctitas sua concedit Episcopis Regni jus conferendi Parœcias, quæ quovis anni tempore erunt vacaturæ Prævio concursu, quibus sint deferendæ, si libera collationis, vel si juris patronatus Ecclesiastici, sive regii fuerint. Excipiuntur Parœcia vacaturæ in Curia, aut quarum Parochi fuerint a S. Sede de aliqua ecclesiastica dignitate, aut Canonicatu provisi. Horum omnium collatio spectabit ad Summum Pontificem.

ART. XII. Omnia bona Ecclesiastica non alienata a Gubernio Militari, quæque in reddito Majestatis suæ penes administrationem vulgo *del Demanio* reperta sunt, Ecclesiæ restituntur.

ART. XIII. Sanctitas sua declarat eos omnes, qui Ecclesiæ bona alienata possident, nullam molestiam habituros neque a Se, neque à Romanis Pontificibus suis successoribus: ac consequenter proprietatem eorumdem bonorum, redditus, et jura iis inhæren-

tia immutabilia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes.

ART. XIV. Dispositiones quoad Regularium domorum restitutionem, earumque bonorum distributionem. Pensiones Religiosis solvendæ, qui Indultum sæcularizationis a S. Sede obtinuerunt.

ART. XV. Ecclesia jus habebit novas acquirendi possessiones, et quidquid de novo acquirat, faciet suum, et censebitur eodem jure ac veteres fundationes Ecclesiasticæ. Hac libertate in posterum gaudebit Ecclesia, quin tamen præjudicium ullum afferatur legalibus effectibus legum vulgo *di ammortizzazione*, quæ in Regno viguerunt usque in hanc diem, earumque legum executioni etiam in posterum pro casibus nondum consummatis, et conditionibus nondum impletis. Nulla Fundationum Ecclesiasticarum fiet suppressio, aut unio absque interventu auctoritatis Sedis Apostolicæ, salvis facultatibus a Sacro Concilio Tridentino Episcopis tributis.

ART. XVI. Quum luctuosæ temporum circumstantiæ non patiantur Ecclesiasticos exemptione a publicis regiis, et Civitatis oneribus gaudere, Majestas sua pollicetur abusum superioribus temporibus in Regno introductum, quo Ecclesiastici, eorumque bona durioribus taxis præ Laicis prægravabantur, cessaturum; quin immo, cum per feliciora tempora Status conditio prosperior evadet, Regia Majestas largitionibus Clero opitabitur.

ART. XVII. Mons *Fruentarius*, Neapoli erectus, supprimitur. Constituantur Administrationes Diocesanæ, quarum unaquæque constabit duobus Canonicis et Regio Procuratore. Cuilibet Congregationi seu Administrationi præsidebit Episcopus, aut ejus Vicarius. Ordinarius et Regia Majestas per suum Administrum, collatis consiliis fructus ex Beneficiis vacantibus perceptos in favorem Ecclesiarum, etc., et in alios pios usus erogabunt; servata tamen dimidia parte reddituum Mensarum Episcopatum vacantium pro futuro earumdem Episcopo. Abrogatio *Tertii Pensionabilis*. Tempore provisionum Episcopatum, et Beneficiorum regie nominationis, reservatio pensionum secundum formas canonicas locum habere perget. Nominati a Majestate sua ad prædictas pensiones a S. Sede Bullas Apostolicas obtinebunt, vi quarum pensiones ipsas quoad vixerint percipere, et suas facere poterunt. Pensionario vita funeto, Episcopatus, aut Beneficium ab onere persolvendæ pensionis, qua gravabatur liberum erit.

ART. XVIII. Sanctitas sua super aliquas Episcopales Mensas, et Abbatis Regni designandas sibi reservat in perpetuum annuas pensiones in summa ducatorum duodecim millium, quas Romanus Pontifex pro tempore suis subditis status Ecclesiastici pro lubitu conferet.

ART. XIX. Beneficia et Abbatis existentes in Regno utriusque Siciliae, quarum fructus aut ex toto, aut ex parte applicati reperiuntur personis ecclesiasticis, et aliquibus Ecclesiis etc. Urbis, aliorumque locorum